

Feria iv. Die xviij. Martij MDCXLIII.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Conuentu S. Mariæ ſuper Minerua coram Eminentiſsimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in Vniuerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

PRodiit Anno 1641. liber cui titulus. Michaelis Rabardei, è Societate Ieſu Diœceſis Aurelianenſis Optatus Gallus de cauendo ſchiſmate &c. benigna manu ſectus &c. excuſſus Pariſijs apud Viduam Ioannis Camuſat via Iacobæa ſub ſigno Velleris Aurei.

Cumq. euulgato opere, Sanctiſſimo ſupremæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Tribunali fuerit denuntiatum, multas in eo contineri propoſitiones, quæ in Eccleſia Dei graue ſcandalum parere poterant, ſchiſmaq. non tam tollere, quàm fouere videbantur. Propterea de mandato Sanctiſſimi D. N. in Sac. Cong. eiuſdem ſupremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis, propoſitionibus in dicto libro contentis maturè examinatis, eadem Sacra Congregatio communi voto cenſuit, multas ex illis eſſe reſpectiuè temerarias, ſcandaloſas, piarum aurium offenſiuas, ſeditioſas, impias, poteſtatis Pontificiæ penitus deſtructiuas, Immunitati, ac libertati Eccleſiaſticæ contrarias, Nouatorum hæreſibus proximas, erroneas in fide, & manifeſtè hæreticas.

Ne igitur ex lectura operis adeò pernicioſi Chriſtifideles erroribus, & hæreſibus, ac prauis opinionibus inficiantur, & deprauentur Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. DD. Cardinales in tota Republica Chriſtiana ſupremi, & Vniuerſales Inquiſitores, librũ prædictum omnino damnandum, & prohibendum eſſe voluerunt, prout præſenti decreto damnant, & prohibent. Mandantes vt nullus deinceps cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignus ſub pænis in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, illum audeat imprimere, ſeu imprimi curare, vel quomodocunque apud ſe retinere, ac legere, & ſub eiſdem pænis quicunque illum habent, vel habuerunt, in futurum locorum Ordinarijs, ſeu Inquiſitoribus ſtatim à præſentis Decreti notitia exhibere teneantur.

Io. Antonius Thomaſius S. Rom. & Vniuerſ. Inq. Not.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimotertio. Indictione vndecima die verò 29. menſis Aprilis Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani, diuina prouidentia Papæ VIII. Anno eius vigeſimo ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri de Vrbe, necnon ad valuas Palatii Sacræ Inquiſitionis, & Cancellariæ Apoſt. ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per me Io. Baptiſtam Riccium eiuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ, & Sanctiſſ. Inquiſitionis Curſorem.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. MDCXLIII.